UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio Decalogi Duabus distincta partibus

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes, mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

De deceptione in pretio, num. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

Visual Library

1 Cvm de deceptionibus ejuſmodi, quando fiunt ex errore & dolo, ſuperius *a* aliqua tetigerim, hic in proprio loco ea, quæ nondum ſunt explicata, breviter erunt proponenda.

a *lib. 3. cum de jur. c. 3. §. u. 21.*

De deceptione in pretio.

Quando quis recipit (præſcindendo à liberali remiſsione, quæ, quando præſumitur intercedere, dixi per aliam occaſionem ſuperius *b*) pro ſua re minus pretium, quàm valeat, vel magis quàm valeat, emit, ipſi in foro externo non datur actio, ſi non ſit defectus, vel exceſſus vltra, vel infra dimidium (quis hic ſit, lege num. 14 & habes apud Leſſium *b* & Fagundez *c*:) quia leges civiles voluerunt reſecare lites; unde & apud illas invenies, licere ementibus & vendentibus ſe invicem decipere, uſque ad dimidiam partem juſti pretij: at omnes Theologi *c c* communiter docent, debere reſtitui totum id, cum ejus fructibus fortè perceptis, quod in venditione accipitur ultra juſtum pretium, ſeu ultra juſtum rei valorem, vel quod in emptione de juſto non datur Ratio eſt manifeſta, quia nemini licet in conſcientia, proximum, ne in obolo quidem decipere.

b *ſupr. tr. 2 t. 9. §. 1. n. 35. vide etiam inf. c. 8. §. 2. n. 16.* b *Leſſ. lib. 2. c. 21. d. 4. n. 20.* c *Fag. lib. 5. de contract. c. 40. nu. 3. quibus adde Caſtrop. de juſt. com. d. 5. p. 17. §. 1. n. 3. paßim Iuriſtæ.* cc *l. Leſſ. l. 2. c. 2. dub. 4. num. 21. De lugo t. 2. de juſt. d. 26. ſec. 6. & S. Th. Navarr. Mol. Salas, alioſque ab eiſdem citat. quib. adde Caſtrop. de juſt. comm. d. 5. p. 17. §. 2. num. 3.*

Notarium tamen facientem ſcripturam de venditione, cum læſione infra dimidium, excuſo *d* à peccato, ſi non fingit aliam venditionem, ſed illam, prout eſt, publicè ſcribit, quia ipſum excuſat officium ſuum in re permiſſa à publicis legibus.

d *Sà & Sal. quos citat. ſequiturque Caſtrop. l. c. n. 5.*

De venditione facta duobus.

2. Si res nondum fuit tradita ſecundo emptori, tenetur venditor eam priori tradere: *Qui prior eſt tempore, potior eſt in jure*; ſi autem res tradita ſit ſecundo emptori, hic antefertur priori, quia traditio dominium transfert, atque adeo ſecundus habebit jus in re, quod eſt fortius, quam jus ad rem, quod ſolum habebat prior. In hoc tamen caſu venditor punietur pœna falſi; erit perjurus, ſi juramentum adhibuerit, tenebiturque omnia damna ſolvere priori; qui prior emptor contra venditorem habebit ſolum actionem perſonalem, non autem realem in ipſam rem venditam. Quæ dicta ſunt, habent locum in locatione, & donatione, ſi quando duobus eadem res locetur, doneturve.

3. Sunt nihilominus aliquot caſus, in quibus præferendus eſt prior emens, licet res ſit poſteriori tradita. Primò, quando prior jam ſolvit pretium. Secundò, quando eſt adhibitum pactum de non vendenda re alteri, vel ipſa res eſt data in pignus ipſi primo emptori.

Tertò